Jahresbericht

über

das Königliche Gymnasium zu Eisleben

von Ostern 1835 bis dahin 1836.

Womit

zu der öffentlichen Prüfung der Schüler der Anstalt
und zu der feierlichen Entlassung der Abiturienten

am 28. März 1836

alle Freunde des Schulwesens und insbesondere die Eltern unserer Schüler

ergebenst einladet

Dr. Friedrich Ellendt,
Director und Professor.

Voraus geht eine Abhandlung des ordentlichen Lehrers Dr. Schmalfeld: Commentationis de Fato Homerico particula

Eisleben 1836,
gedruckt in der Losse'schen Buchdruckerei.

COMMENTATIONIS
DE
FATO HOMERICO
PARTICULA I.

Graeci veteres, quum non unum, uti nos, deum, sed multos deos deasque colerent, ac nullam rem sensu vel cogitatione concepissent, cui non aliquod numen praeesse crederent, ea, quae accidunt mortalibus fiuntque, non unius Jovis, quem summum habebant deum, nutu ac voluntate, sed adjutricibus deabus quibusdam fieri rati esse perhibentur. Homerus quidem eas *Αἶσαν*, *Μοῖραν*, *Κῆρα* nominavit: alii, qui post Homerum in fati cogitationem inciderunt, scriptores et poëtae, *Εἱμαρμένην* addiderunt et *Πεπρωμένην*, quas hic omittimus. Erit autem, quum omnia, quae ad Homericum fatum pertinent, persequi res Gymnasii nostri pecuniariae prohibeant, ne latiore quaestione sumptus impressi libelli majores fiant, hac commentatione ea quaestio, quid illud sit, quod ceteri dii deaeque illarum, quas modo dixi, dearum numini dicantur paruisse. Quam ad quaestionem etsi presse non attinet explicatio nominum, quibus deas administras fati poëta vetus appellavit, tamen hoc praemonemus, *Κῆρα* nusquam vocari, nisi mortiferam [1]), inter *Μοῖραν* autem et *Αἶσαν* hoc interesse, ut haec omnis omnino sortis humanae moderatrix dicatur, illa singularum casuum, veluti calamitatis alicujus, mortis,

1) Fere semper, ubi hujus deae aliqua mentio facta est, legimus: *Κὴρ τανηλεγέος θανάτοιο*, *Κῆρας ἀφύξειν*, *Κῆρας ἀμύνειν*, similia, quibus omnibus nullus inest, nisi mortis intellectus.

omnino rerum singularum, quae bene secusve eveniunt [1]). Quae quum sit eorum nominum differentia, facile cognoscimus, cur unam tantum *Αἶσαν*, plures autem *Μοίρας* esse crediderint [2]). Neque vero ea nomina locis omnibus fatales deas declarant, sed sexcentis appellativa sunt. Quod quum non omnes aeque perspicerent, vera cum falsis confuderunt. Ac primum quidem iis poëta partem seu portionem significat [3]), unde *κατὰ μοῖραν*, *κατ᾽ αἶσαν*, uti convenit, uti par est, uti decet: aliis locis sortem sive fatum aut casum, quae ratio eorum locorum est omnium, quibus non agens aliqua persona declaratur, veluti Il. V, 210: *Κακῇ αἴσῃ ἀπὸ πασσάλου ἄγκυλα τόξα ἑλόμην.* Ibid. XV, 209: *Ἀλλὰ τόδ᾽ αἰνὸν ἄχος θυμὸν ἱκάνει, ὁππότ᾽ ἂν ἰσόμορον καὶ ὁμῇ πεπρωμένον αἴσῃ νεικείειν ἐθέλῃσιν.* Od. XI, 559: *Ζεὺς τεῒν ἐπὶ μοῖραν ἔθηκεν.* His locis et aliis multis non dubium est, quin *αἶσα* et *μοῖρα* pro appellativis sint, praesertim iis, quibus *θεῶν*, *Διὸς αἶσα* vel *μοῖρα* dicitur. Nec minus eorum in numero illos locos habemus, quibus *αἶσα*, *μοῖρα*, vel *αἶσά ἐστι*, *μοῖρά ἐστιν* idem est atque *μόρσιμόν ἐστιν*. Exempli causa cito Il. XVI, 708: *Οὔ νύ τοι αἶσα σῷ ὑπὸ δουρὶ πόλιν πέρθαι Τρώων.* Ib. XVII, 422: *Εἰ καὶ μοῖρα παρ᾽ ἀνέρι τῷδε δαμῆναι πάντας ὁμῶς* etc. Od. V, 41, 113 et 206. XIII, 359. XV, 276.[8]) Quorum locorum e numero nescio, cur a quibusdam ille segregatus sit, quo Mars jurans inducitur: *εἴ καὶ μοῖρα, Διὸς πληγέντι κεραυνῷ κεῖσθαι ὁμοῦ νεκύεσσι μεθ᾽ αἵματι καὶ κονίῃσιν.*

Hoc autem omne locorum genus, quod modo leviter attigimus, si dempseris, restant non ita multi loci, quibus non dubium sit, quin tanquam agentes personae *Κῆρες*, *Μοῖρα*, *Αἶσα* declarentur. Ac si quaeritur, num ex ullo loco recte conjici possit, earum dearum numina majora atque potentiora fuisse, cui vel Jovem paruisse rati sint, exponamus necesse est, quale regnum Olympium antiquitas illa finxerit. Firmata autem virorum doctorum consensu sententia est, ad humani alicujus regni similitudinem regnum Jovis Olympium ab Homero confictum esse, ita, ut illi deo ceteri dii deaeque pareant et administri sint. Ab Jove igitur suum illorum quisque munus habet et imperii caelestis ita particeps factus est, ut ad consilium ejus adhibeatur. Suo autem quisque muneri ita praeest atque consulit, in suaque parte ita imperat, ut a ceterorum voluntate et arbitrio liber sit et

1) Il. V, 613 et 629. VI, 487. XVI, 849. XX, 127. XXIV, 224. Od. VII, 197. al.
2) Il. XXIV, 49.
3) *Αἶσα* enim et *μοῖρά ἐστιν* est accidit, accidet.

communis. Sed hae potestates singulares ne inter se contendant, Jupiter conciones habet, quibus deorum voluntates et consilia moderetur et temperet, quod imperium iniquum videri posset et injustum, nisi ipse deûm hominumque pater legibus certis uteretur. Quae leges quum non tantum aeternae sint, sed etiam, quia Jupiter singularis, lex autem communis omnium est, voluntatis regiae videri possint esse contrariae, judicaverit forte quispiam, regem Olympium alienae alicui superiori potestati parere. Minime vero. Nimirum ea caruerunt veteres divinae notionis comprehensione, ut, qui deus haec omnia, quae videmus, olfacimus, tentamus, audimus, sentimus, moderaretur, eundem omnium opificem, naturam ac legem esse ducerent. Quippe deos hominum similes fingebant. Itaque, quemadmodum homini a natura lex quaedam moralis, quae dicitur, insita et innata est, ita deos probi ac justi legem quandam habere rati sunt, quam migrare non deberent, nec aliter Jovem summum esse, nisi legis illius imperio, quam quia ipse sapienti consilio observaret, observari vellet idem ab aliis. Hac igitur lege morali deorum atque Jovis voluntas et potestas circumscripta atque definita est, neque tamen ea sola, sed etiam altera, naturali. Sunt enim dii neque extra naturam, neque adeo intra eam, ut natura sine illis nulla sit, sed ab ipsa natura progeniti et ita cum ea conjuncti, ut sine ea ne esse quidem ulli possint. Itaque deorum imperium non eo usque pertinet, ut in iis rebus, quae naturales sunt, mutare quidquam possint, sed naturalem legem administrant. Naturalis enim legis necessitatem si mutarent, natura, qualis est, talis esse non posset. Itaque homines, quum mortales sint, mortem non effugiunt, nec ab ea communi omnium sorte deorum opera defendi possunt. Quamobrem Od. III., 236. sqq. Telemacho Minerva: *Ἀλλ' ἤτοι θάνατον μὲν ὁμοίϊον οὐδὲ θεοί περ καὶ φίλῳ ἀνδρὶ δύνανται ἀλαλκέμεν, ὁππότε κεν δὴ μοῖρ' ὀλοὴ καθέλῃσι τανηλεγέος θανάτοιο.* His verbis nonnulli adducti sunt, ut *Μοῖραν* deam ceteris diis deabusque superiorem ab Homero habitam existimarent. At *μοῖρα* hic nomen appellativum est [1]), nec illud negligendum, quod poëta dixit *ὁμοίϊον θάνατον*, i. e. m o r t e m o m n i b u s h o m i n i b u s a l i q u a n d o f u t u r a m. Nequeunt autem dii naturae necessitatem amovere, at retardare mortem aut properare. Cujus opinionis quum sexcenta possint afferri testimonia, cito Od. tantum IV, 753: *Ἀθηναίη κέν μιν ἔπειτα καὶ ἐκ θανάτοιο σαώσει*, et Il. IV, 11:

---

1) V. Il. III, 101. XVI, 334. Od. II. 130. quibus locis *θάνατος* et *μοῖρα* ita conjuncta sunt, ut hoc appellativum esse manifestum sit.

Τῇ δ' αὖτε φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη αἰεὶ παρμέμβλωκε καὶ αὐτοῦ Κῆρας ἀμύνει. Alius, quo eandem in rem incidit poëta, locus est Il. XV, 141. Nam Minerva: *ἀργαλέον,* inquit, *πάντων ἀνθρώπων ῥῦσθαι γενεήν τε τόκον τε.* Scilicet Mars ille ferox filium a nece tueri volebat, sed id contra Jovis consilium. Itaque Minerva nonnunquam ait difficile esse mortalem ab exitio servare, i. e. mortem retardare, non quod omnino diis prohibendi vis non esset, sed quia fieri posset, ut hominis alicujus salus consilio Jovis ceterorumque deorum communi repugnaret. Namque moralem legem migrare diis non licebat, ac si quis eorum aliquod crimen in se admitteret, poenam subterfugere non poterat. Itaque Mars auxilium laturus filio metuit, ne aperto crimine gravissimam poenam se subire oporteat. Nam: *Τίσομαι,* inquit, *φόνον υἷος, ἰὼν ἐπὶ νῆας Ἀχαιῶν, εἴπερ μοι καὶ μοῖρα Διὸς πληγέντι κεραυνῷ* etc. Il. XV, 116 sqq. Namque Jupiter lege vetuerat deos auxilio mortalibus venire, ne quid vel ira vel cupidate facerent. Nec ipse Jupiter moralem eam legem rumpit. Namque legimus Il. XXII, 209. haecce verba: *Καὶ τότε δὴ χρύσεια πατὴρ ἐτίταινε τάλαντα, ἐν δ' ἐτίθει δύο κῆρε τανηλεγέος θανάτοιο, τὴν μὲν Ἀχιλλῆος, τὴν δ' Ἕκτορος ἱπποδάμοιο· — ῥέπε δ' Ἕκτορος αἴσιμον ἦμαρ.* Agebatur autem, cujus duorum populorum majora fata essent, quum Hectoris exitium cum Trojanorum omnium clade necessario esset conjunctum, Achillis autem cum calamitate Graecorum. Quod quum praeviderent, qui dii Trojanorum civitati favebant, a Jove petebant, ut Hectorem servaret, qui autem Graecis, ut Achillem e pugna victorem reduceret. Igitur Jupiter, quum, uti regem justum decet, a neutra parte staret, secum animo sapientique consilio perpendit, utrius victoria cum legibus aeternis, quos de imperio mundi temperando sibi scripserat, aetatumque futurarum cum salute conspiraret. Visum est autem ei satius Achillem vincere, ideoque Hectorem perire sivit. Quae Jovis meditatio, si simpliciter eam verbis significasset, non satis gravis poëtae visa est, nec a cupiditate adeo aliena, ut videri non posset vel ira vel studio rex deorum aliquid fecisse. Quamobrem libram finxit in ejusque lancibus utriusque sortes impositas, ut justissimo judicio suum utrique tributum esse appareret. Cfr. VIII, 96 sqq.

Hi fere sunt loci celeberrimi, quibus evinci posse quibusdam visum est, deos numini alicui superiori paruisse, at id nusquan a poëta nomine nuncupari, quia, quale illud esset, quod fatum ipsi nominant, non satis perceptum ille habuerit, quasi ei ad id significandum, quod cogitasset, verbum deesse potuisset. Sunt quidem populi, qui praeter deos aliquod fatum esse

crediderint deorum numine superius. Exempli caussa nomino Sandvicenses, a quibus Etua quidem Roao summus quidem deus, sed Fato minor habebatur. Non ita Graeci de deorum dignitate detraxerunt. Quamquam enim hoc concedimus, ne leges quidem illas, moralem, inquam, et naturalem, verbis ita significatas esse, uti eas Jovi pro norma fuisse discamus, tamen locis haud ita paucis dii, praesertim Jupiter omnia nosse ac scire perhibetur. Nam Od. XX, 75. Penelope: Ζεὺς, inquit, εὖ οἶδεν ἅπαντα. Nec oraculis quisquam futurorum praedictionem habuisset, si Jupiter auctor oraculorum ea non praevidisset. Non autem modo praevidet hic futura, sed etiam auctor est, ut fiant et eveniant. Itaque bellum inter Graecos et Trojanes Διὸς διὰ βουλὰς conflatum esse dicitur Od. VIII, 82. Idem decernit de fortuna proeliantium, qua de re v. Il. VIII, 96. IX, 24 sqq. XIII, 221 sqq, et de hominum sorte, praesertim eorum, quos praecipua quadam cura amplectitur, i. e. de heroibus ac regibus, qui ab ea cura Διοτρεφέες appellantur. Il. X, 71. Agamemno: Ὧδέ που, inquit, ἄμμι Ζεὺς ἐπὶ γεινομένοισιν ἵει κακότητα βαρεῖαν. Il. XVI, 433—461. Jupiter, quum praevideret, si auxilium non ferret, filium Sarpedonem a Patroclo caesum iri, haerebat aliquantisper, utrum ab interitu servaret, an perire pateretur. Sed quum Juno deos deasque omnes, si tueretur filium, succensuros diceret, necem non prohibuit, non quo potestate servandi careret, sed ne factiones in Olympio regno fierent. Cfr. Il. XV, 650 sqq. Nec desunt loci, quibus Jupiter omnium rerum, quae bene secusve mortalibus eveniunt, auctor esse perhibeatur. Nam e doliis duobus suam cuique fortunam tribuit. V. Od. IV, 207. Il. XXIV, 527—31. et Od. VI, 188 sq: Ζεὺς δ' αὐτὸς νέμει ὄλβον Ὀλύμπιος ἀνθρώποισιν, ἐσθλοῖς ἠδὲ κακοῖσιν, ὅπως ἐθέλῃσιν ἑκάστῳ. Aliis locis non unus Jupiter, sed dii universe rebus hominum consulere dicuntur, veluti Od. III, 207. XX, 196. Il. XIV, 465. Nec id adeo mirum. Nam, quae Jupiter in consilio deorum fieri jussit, ea recte ceteri dii exsequuntur, quibuscum imperium ita communicatum est, ut, quicquid illius consilium secuti faciunt, hoc fatum sit. Verbi caussa Juno et Minerva Il. V, 715. Menelao promittunt, Trojam urbem eversum iri, nec tamen aliter hoc praedicere potuissent, nisi cum iis, quas praecipuo quodam praeter ceteros honore haberet, Jupiter consilium communicasset. Mars autem, quamvis incensus iracundia, filium a nece servare non potuit, quia Jupiter illum interfici voluerat. Atque quum idem Hectorem perire Trojanosque cadere vellet, omnes dii deaeque, qui Trojanis faverant, e pugna recesserunt.

Reliquum est, ut, quod numen nomine δαίμων declaratum sit, brevi exponam. Est autem fere idem δαίμων atque numen, i. e. potestas aliqua divina, quo intellectu differt a θεός, quo divina aliqua persona significatur. At quum persona dei sine potestate divina esse nulla possit, factum est, ut haud ita raro poëta deum vel deam δαίμονα vocaret. Exempli causa cito Il. I, 222, quo versu Minervam poëta refert aliquando μετὰ δαίμονας ἄλλους in Olympum rediisse, et Il. III, 320. δαιμονίη Venerem appellavit. Quum autem δαίμων divinae alicujus potestatis, non personae notionem habeat, hoc ejusmodi locis nomine usus est, quibus casum aliquem, vel secundum, vel adversum, aliquo numine, cujus quis nomen aut dicere vereretur, aut nesciret, evenisse significaret. Ita Od. XI, 61. Elpenor: Ἆσέ με δαίμων, inquit, κακὴ καὶ ἀθέσφατος οἶνος; et Eumaeus ibid. XVI, 64: Ὣς οἱ ἐπέκλωσεν τάγε δαίμων. Nec vero usquam δαίμων ita dictus est, ut hoc nomine numen aliquod ab Olympiis diis diversum iisque superius a poëta nuncupatum esse recte judicemus.

At dicat quispiam, si certum est, omnia, quae fiunt, Jovis voluntate nutuque fieri, quid causae fuit, ut Graeci veteres Parcas humanae sortis moderatrices esse crederent? Nimirum, ut Apollini oracula ceterisque diis singulis munera sua Jupiter distribuit, ita Parcis, quae vocantur, humanae fortunae gubernationem concessit, ita tamen, ut, quae cuique destinavisset, hae quidem exsequerentur, ipse rex imperium summum retineret. Cujus necessitudinis haec ratio erat, ut, quemadmodum omnes dii suam quisque caelestis regni partem administrarent, nec tamen quidquam praeter summum Jovis consilium facerent, ita per Parcas ea accidere existimarent, quae Jupiter eas exsequi voluisset. Non igitur mirum, quod alibi Jupiter, aliusve deus, alibi Parcae fata constituisse dicuntur. Fatorum enim auctorem alia ipsum facere, alia Parcarum administrarum operae mandare credebant. Feruntur autem Parcae mortalibus sortem ἐπινῆσαι λίνῳ, quam imaginem ad vitae similitudinem veteres expresserunt, nec tamen aliud ea significarunt, nisi Parcas humanae sortis tanquam opifices esse, quae tanquam ancillulae pensa ab Jove data colo nerent. At etiam alii dii res, vel secundas, vel adversas, hominibus ἐπικλώσασθαι perhibentur, qua de re v. Od. I, 17. III, 208. VIII, 279. Nimirum hoc translato verbo dixerunt, nihil aliud, quam destinare declarantes. Exempli causa locos bini celeberrimos subjungo, quos, si haec mihi, quae modo disputavi, recte disputata esse, concesseris, facillimo negotio intelliges. Dicit autem Od. VII,

197 sq. Alcinous de Ulysse: Ἔνθα δ' ἔπειτα πείσεται, ἅσσα οἱ Αἶσα Καταχλῶθές τε βαρεῖαι γεινομένῳ νήσαντο λίνῳ, ὅτε μιν τέκε μήτηρ. Καταχλῶθες autem eaedem sunt ac Μοῖραι, quas dicit Hom. Il. XXIV, 49: Τλητὸν Μοῖραι θέσαν θυμὸν ἀνθρώποισιν. Sola Αἶσα moderatrix fati et artifex appellatur Il. XX, 127: Ὕστερον αὖτε τὰ πείσεται, ἅσσα οἱ Αἶσα γεινομένῳ ἐπένησε λίνῳ. Il. V, 613: Ἄμφιον, inquit, ἦγε Μοῖρ' ἐπικουρήσοντα μετὰ Πρίαμόν τε καὶ υἷας. Il. autem II, 833 et XI, 330. Κῆρες eundem Amphium et filios Meropis, ut ad bellum proficiscerentur, coëgisse dicuntur, quia profecti proelio ceciderunt. Il. XVIII, 115 sq. Achilles mortuus esse traditur, quod αὐτῷ κῆρα Ζεὺς ἐτέλεσσε καὶ Μοῖρ' ἐδάμασσεν, et Hectorem μεῖναι Μοῖρ' ἐπέδησεν Ἰλίου προπάροιθε πυλάων τε Σκαιάων, quae verba leg. Il. XXII, 5. Ut Sarpedonem aggrederetur, ὦρσε Τληπόλεμον Μοῖρα κραταιή. Il. V. 629. Injuriam a se factum Achilli Agamemno dicit, quod Ζεὺς καὶ Μοῖρα καὶ Ἐριννὺς φρεσὶν ἔμβαλον ἄγριον ἄτην, Il. XIX, 78. Hoc loco tria numina feruntur Graecorum principem, ut injuriam faceret, induxisse, quod ita ego interpretor, ut a Jove Μοῖραν missam esse dicam, quae curaret, ut ἄτη regem caperet, Ἐριννὺν autem, quae consilium ejus properaret, ut injuriam poena gravi lueret. Il. XVI, 849. Patroclus moriens: Ἀλλά με, inquit, Μοῖρ' ὀλοὴ καὶ Λητοῦς ἔκτανεν υἱός, non quo duorum numinum mortifera tela in se jacta esse significet, sed hoc dicit, Apollinem accessum Μοίρας accelerasse.

Hi fere sunt loci, quibus Αἶσαν et Μοῖραν deas Homerus attigit. Nullum esse confiteare necesse est, quo de futuris inter Jovem et Parcas dissensionem fuisse, quove Jovem inferiorem, illas superiorem, quam administrarum, locum obtinuisse, possit evinci. Quid enim? An unquam miseri salutem a Parcis precati feruntur? Nusquam. Erant enim Parcae immutabiles et inexorabiles, non quod nollent calamitates prohibere, sed quia non poterant. An vero Parcarum numen supremum erat, Jupiter autem preces audiebat? Et has qui convenit ut audiret is deus, qui nequiret fortunae vicem ineluctabilem convertere? Non invenio, quo difficultatem diluam, nisi hoc mihi concesseris, ideo Parcas inexorabiles fuisse, quod ministerio Jovis essent addictissimae, ab iisque neminem impetrasse, ut faciles essent, quod domini sui consilium mutare nequirent.

Restat, ut ὑπὲρ αἶσαν, ὑπὲρ μοῖραν et ὑπὲρ μόρον paucis explicem. Ac supra quidem ea κατ' αἶσαν et κατὰ μοῖραν esse facta didicimus, q u a e a l i c u i r e i c o n v e n i u n t, d e c e n t. Ὑπὲρ αἶσαν igitur et ὑπὲρ μοῖραν ea sunt, q u a e a l i t e r a t q u e p a r e s t, d e c e t, s u p r a f i n e m f a t o c o n s t i t u t u m

fiunt vel eveniunt. Ὑπὲρ μόρον autem fit, quod supra fortunam sive aliter evenit, quam per fortunam licet. Fiunt autem praeter fatum, quibuscunque lex, vel naturalis, vel moralis, vel ipsum deorum numen laeditur. Itaque Paris Il. VI, 335: Ἕκτορ, inquit, κατ' αἶσαν ἐνείκεσάς μ' οὐδ' ὑπὲρ αἶσαν, i. e. merito objurgasti me, nec immerito. Propius vero poëta videri possit ad notionem fati accessisse Il. XVI, 780. quum caneret: Καὶ τότε δή ῥ' ὑπὲρ αἶσαν Ἀχαιοὶ φέρτεροι ἦσαν. At hoc loco cave ne putes, Graecos ab eo declarari fortunae bellicae finem fato constitutum fortitudine sua ac sine deorum numine transgressos, sed ὑπὲρ αἶσαν nihil, nisi hoc significat: quam vi sua ac robore posse videbantur. Inest autem in ea locutione fati significatio Il. VI, 487: Οὐ γάρ τίς μ' ὑπὲρ αἶσαν ἀνὴρ Ἄϊδι προϊάψει, nec tamen illa iis, quae de fato supra disputavimus, contraria. Nam ὑπὲρ αἶσαν significat, antequam mortis hora deorum consilio destinata mihi erit. Nec difficilius ad explicandum haec sunt, quae legimus Il. XVII, 321: Ἀργεῖοι δέ κε κῦδος ἕλον καὶ ὑπὲρ Διὸς αἶσαν κάρτεϊ καὶ σθένεϊ σφετέρῳ, ἀλλ' αὐτὸς Ἀπόλλων Αἰνείαν ὤτρυνεν etc. In his enim verbis est sumptio, nec fieri quidquam humana vi posse praedicat Apollo ibid. v. 327. Ὑπὲρ μοῖραν est Il. XX, 336. quo loco Neptunus: Ἀλλ' ἀναχωρῆσαι, inquit, ὅτε κεν συμβλήσεαι αὐτῷ, μὴ καὶ ὑπὲρ μοῖραν δόμον Ἄϊδος εἰσαφίκηαι, quem locum confer cum Il. VI, 487. Locos reliquos, quum ab his intellectu non differant, omitto, sed ad illos transgredior, quibus ὑπὲρ μόρον scriptum invenimus. Ac locus quidem celeberrimus est Od. I, 34 sqq. quo ipse deûm hominumque pater: Ἄνθρωποι, inquit, σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν· ὡς καὶ νῦν Αἴγισθος ὑπὲρ μόρον Ἀτρείδαο γῆμ' ἄλοχον μνηστήν, τὸν δ' ἔκτανε νοστήσαντα. Nimirum Aegisthus eo, quod necato regio conjuge Clytaemnestram in matrimonio habebat, lege morali laesa vicem humanam superaverat, nec tamen a scelere prohibitus erat, quia in iis, quae ad virtutem pertinerent, libera voluntas humana non esse non posset. Ita enim recte veteres cogitatione perceperant, admoneri quidem homines a diis immortalibus, ne quid sceleris committerent, vi tamen non arceri. Cfr. verss. inseqq. Quum igitur Aegisthus facinus nefarium in se admisisset, ab eo dii poenas repetiverunt, quibus datis tantopere afflictus est, ut majorem calamitatem subiret, quam quae lege naturali mortalium communi accidisset. Opinio enim erat, a Jove vitam hominum mixtam esse bonis et malis, ita tamen, ut haec essent modica, nisi quis ea turpitudine adaugeret. Cui opinioni hoc non repugnat, quod Od. III, 269. dicit Nestor: Ἀλλ' ὅτε δή μιν (Αἴγισθον) μοῖρα θεῶν ἐπέδησε δαμῆναι. Haec enim verba non ita interpretanda

esse crediderim, ut ab ipsis diis Aegisthum in pravitatem adductum putem sed quia diu regis Agamemnonis uxorem ad turpe matrimonium ille pellexerat, dii eum non amplius a scelere conficiendo prohibuerunt, ut poenas sumerent. Il. autem XX, 30. Jupiter: *Δείδω*, inquit, *μὴ καὶ τεῖχος ὑπὲρ μόρον ἐξαλαπάξῃ* (*Ἀχιλλεύς*), quibus cum verbis compono, quae legimus ibid. XVI, 315 sq.: *Ἀπόλλων ἐδύσετο Ἴλιον ἱρήν· μέμβλετο γάρ οἱ τεῖχος ἐϋδμήτοιο πόληος, μὴ Δαναοὶ πέρσειαν ὑπὲρ μόρον ἤματι κείνῳ.* His locis videri cuipiam possit deorum potentia minor fuisse, quam quae hominum audaciam restingueret. At est in verbis sumptio, sententia non suppleta. Subjunge: *εἰ μὴ Τρωσὶν ἐπαρήξομεν*, et cfr. Od. II, 155. et V, 436.

Quae quum ita sint, non invenio, de fato veteres tam incertos fuisse, ut alia Jovis consilio, alia numinis alicujus voluntate Jove superioris, sed ita obscuri, cujus ne nomen quidem nossent, fieri arbitrarentur. Ac si jam res eo perducta est, ut, quae hactenus a me disputata sunt, concludam, non possum, quin ingenium antiquorum Graecorum summopere admirer. Illi enim quamquam hujus aetatis sapientiam non attigerunt, tamen nihil finxerunt, quod non humanitatis semina futurae in se contineret. Nam, ut ne multus sim, credebant Graeci vetustissimi, mundum hunc omnem, quo omnia continentur, sua quadam vi aeterna esse et necessitate consistere: imperium autem mundi summum Jovem obtinere eumque sapienter omnia regere: nec tamen naturae necessitatem tollere, quia, si tolleret, natura sibi repugnaret: generis autem humani fata legibus aeternis, i. e. sapientia sua moderari: praeter ejus voluntatem quae fierent, rata non esse: imperii autem ceteros deos ministros itaque fati mortalium Parcas administras habere: has tamen nihil aliud, quam mandata ejus exsequi, et inexorabiles esse, non quod nollent audire precantes, sed quia, quae rex deorum fieri jussisset, conficere ipsas necesse esset. Itaque non ad Parcas, sed ad Jovem ejusque liberos et consanguineos manus tollebant, nec ab illis, sed a deûm hominumque patre, quod dulce esset et utile, salutem omnem laborumque fructus piis votis ac precibus petebant.